



Jacquin, Nikolaus Joseph, Baron von
Selectarum stirpium Americanarum historia... (1763)

Index

1. 280
2. 281
3. Tab. CLXXII

mbus, vel aculeis raris utrinque obsitis, plerumque alternis, interdum oppositis, numero inconstanti. *Spathæ* axillares, solitariae, patentes, diutissime post fructuum maturitatem persistentes; quo fit, ut infra frondem sæpe duo vel tria conspiciantur folia spatham spadicemque emarcida in alis locantia. *Flores* inodori levissime flavescunt. *Fructus* atropurpurei & cerasi vulgaris magnitudine succum continent acidulum, e quo vinum conficiunt Americani. Hi edules etiam sunt, at non grati. Exsiccatos plures mecum in Europam portaveram lagenæ inclusos, qui post novem menses Viennam reduci fere totidem mihi vivos excuderunt dermestes *). Ex trunco cortice nudato cannæ fiunt atræ, nitidæ, nodis interstinctæ, levissimæque, quas Galli *Cannes de Tabago* sive Cannas insulæ Tabago vocant, & quæ in Europam quandoque transportantur. Ratione harum cannarum ἀπὸ τῆς βάρτης sive a baculo Bactridem arbitrario nomine derivavi. Incolis inservit regularum, ad tecta componenda similiaque facientium, in locum; unde audit *Higuero de lata*, id est, Ficus regularum. *Marcgravii* Atitara videtur ad hoc genus pertinere. Habitat passim prope Carthagenam.

2. BACTRIS (*major*) fructu ovato. TAB. CLXXI. Fig. 2.

Fructus exoticus. *Clus. exot. l. 2. c. 23. f. 2.*

Palma habitu & crescendi modo præcedenti simillima; sed quæ plerumque ad viginti quinque pedum altitudinem excrescit, & truncum acquirit diametri bipollicaris vel crassioris. *Folia* sunt sexpedalia; *foliis* fere bipedalibus, aculeis marginalibus fuscis magisque conspicuis. *Spadix* compresso-planus ob fructuum pondus reclinatur. *Calyx* & *corolla* in fructu sunt multicrenata, quod idem obtinet in priore. *Drupa* figura & magnitudine ovi, stylo acuminata, fibrosa, succulenta, edulis, acidula, cortice vestitur coriaceo & saturate purpureo, ex qua itidem vinum parant incolæ. *Nux* atra, magna, ovato-oblonga, apice acuminato trifidoque, tribus foraminibus obsoletis notata, quorum duo paulo supra medietatem locantur, tertium altius. *Nucleus* oblongus, utrinque obtusus, cartilagineus, solidus, nec cavus. *Fructus* in foro veneunt, vocanturque *Cocorotes*.

Habitat Carthagenæ in sylvis.

ELÆIS.

1. ELÆIS (*guineensis*.) TAB. CLXXII.

Palma pinnis & caudice ubique aculeatissimis, fructu majusculo. *Brown. jam. 7. p. 344?*

* Flores

*) Nova videtur hæc *Dermestis* species, qui determinari potest obsolete *tomentosus*, *subcinereus*; *antennis* filiformibus; *elytris* leviusculis; *femoribus* posticis gibbosis.

* Flores hermaphroditi steriles.

CAL. Spatha . . . Spadix ramosus, compressus, dense spicatus.

Perianthium hexaphyllum: foliolis subovatis, concavis, obtusis, erectis, conniventibus.

COR. monopetala. Tubus subovatus, erectus. Limbus sexfidus, acutus, erectus, longitudine perianthii.

STAM. Filamenta sex, subulata, subtriquetra, erecta, fere longitudine corollæ. Antheræ oblongæ, acutæ, magnæ, extra corollam reflexæ.

PIST. Germina tria, oblonga, erecta, tubo corollæ breviora. Styli obtusi, truncati. Stigmata nulla.

PER. abortat.

* Fœminei flores in eadem planta.

CAL. . . .

COR. Petala sex, . . .

PIST. Germen ovatum, desinens in Stylum crassiusculum, brevem. Stigma trifidum, reflexum.

PER. coriaceum, subovatum, obtusum, inæqualiter compresso-angulatum, fibrosum, oleo scatens, crassum, uniloculare.

SEM. Nux ovata, acuminata, obsolete trigona, basi tribus foraminibus obsolete notata, unilocularis, trivalvis. Nucleus cavus.

Arbor, e qua descriptionem concinnavi, erat fortasse decennis, & triginta pedum altitudine. *Truncus* erectus est, ac inæqualis a foliorum stipitibus diu persistentibus eoque longioribus, quo propioribus frondi. *Folia* sunt pinnata: *costa* rigida, quindecimpedali, infra foliola ad quadripedalem longitudinem armata utrinque in marginibus *spinis* subulatis; quarum superiores hamatæ & recurvæ sunt, intermediæ rectæ, infimæ patulæ duploque cæteris longiores: *foliolis* ensiformibus, acutis, inermibus, basi replicatis, sesquipedalibus, pollicem latis. Emarcidis atque abscedentibus foliolorum paginis, remanet aliquamdiu medius nervus rigidus spinamque mentitus. *Spadix* axillaris, pedalis, valde compressus, erectus, in quinquaginta circiter dividitur *ramulos* quinquepollicares, erectos, digitum crassos, compacte spicatos, imbricatim & inordinate dispositos, apicibus triangularibus & acuminatis. Hos totos, exceptis apicibus, occupant *flores* parvi, singuli ad basin suffulti bractea propria subrotunda parvaque, quæ cujuslibet ramusculi infima multo reliquis major est, augeturque acumine lanceolato. Magnam quoque sui partem ramusculis immerguntur; & odorem vespertino præprimis tempore late exhalant singularem & fortissimum, ac si quis anisi olfaceret femina mixta cum foliis scandicis cerefolii. Prævio meo jussu allatus ad me fuit integer hic spadix, quem modo descripsi, desumptus ex eadem arbore, in qua antea flores fœmineos collegeram, exsiccatos hic illic inter pinnas hæ-

N n

rentes,





BIBLIOTECA
DE
CIENCIAS NATURALES

Jacquin del.